

Reising. a.
2286

D E

VLCERIS VENEREI CANCROSI
(*CH A N C R E*)

ORTV ET CVRATIO NE

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

QVAM CONSENSV

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

IN

VNIVERSITATE LITERARVM LIPSIENSI

PRO GRA DV DOCTORIS
MEDICINAE ET CHIRVRGIAE

DIE XXV. SEPTEMBERIS MDCCCXII

PUBLICE DEFENDET

FREDERICVS HAHNEMANN

PHILOS. DOCT. ET ART. LIBERAL. MAG.

MED. BACC.

LIPSIAE

IMPRESSIT CAROLVS TAVCHNITZ.

Ulcus venereum cancerostum (*chancre*) recens non nisi localem esse affectionem, ad reliquum corpus nequaquam pertinentem; ideoque topicis remediis extirpandam scriptorum morbi venerei plurimi putant. Quod si vero jam per longius temporis spatium steterit, extimescedum, ne virus ex ulcere resorbeatur, totumque corpus lue imbuat, quare saepe ad ulcerum concrosorum sanationem, ut resorptio et interna propagatio veneni praevertatur, hydrargyrum intus sumendum, simul vero ulcera topicis delenda esse remediis, quoniam unus hydrargyri usus internus ad sanitatem restituendam non sufficiat.

Quam quidem hypothesin inanem esse eique superstructas curandi methodos perversas, paucis ostendam et docebo, ulcerus cancerostum (*chancre*) existere nunquam mere locale, sed indicium potius universae contagionis esse ideoque localem horum ulcerum curationem vel propterea maximum inferre damnum, quod, ulcere ejusmodi per topica deleta, criterium principale periret, ex quo sit judicandum, num interna per mercurium cura debitum gradum in extinguenda omni venerea labe attingerit. Tamdiu enim sanatio nondum est perfecta, quamdiu ulcus per internam medelam non sanatur, sin vero omni topica tractatione semota per unicum internum mercurii usum tollitur,



perfecta tunc valetudinis restitutio atque corporis ab omni venereo miasmate liberatio adesse jure meritoque putetur.

Multiplici circa morbum venereum experientia edocemur, ulcere, internam luem repraesentante, per corrosiva remedia fugato, jam alterum symptoma primi ordinis locale, substitutum quasi ulceris cancerosi extincti, bubonem nempe a natura procreari in glandula conglomerata proxima, buboneque denuo per vulgarem artem deleto, diram luem venereum ipsam, quam syphilitidem vocant, in conspectum venire, quum jam ipsi desit symptoma protopathicum (*chancre et bubo*), quod internae luis vim in sese recipiat atque derivet.¹⁾

Qui quidem effectus ante I. Hunterum repulsioni veneni ex ulcere ac bubone tribuebatur; hic autem repulsionis loco hypothesin de resorptione²⁾ per vasa lymphatica crebat, per quam miasma venereum in ceteras corporis partes vehatur; proximam enim utriusque localis morbi, gonorrhoeae et cancerosi ulceris sequelam, bubonem vocari solitam, sicut et remotionem sequelam, perfectam nimirum luem nasci a resorptione viri venerei ex superficie corporis parte, in qua illud fuerit depositum auctenitum.

Hunc plurimi sequebantur medici, qui et iidem sibi persuadebant, in partibus, quas lue affectas conspiciebant, virus

venereum non inde a tempore primae contagionis localis extitisse, sed ad eas tum demum pervenisse, quum successu temporis ex ulcere canceroso vel bubone paullatim resorptum fuerit; principio enim et ante hancce resorptionem, venenum in ulcere aut bubone seorsim tantum ac topice latitare, sine ulla reliqui corporis contagio. Initio nullam esse vim veneni huius mere localis in organismum humanum, simulatque autem ex ulcere canceroso (vel bubone) resorbeatur, tum tandem ad reliquas corporis partes repere atque transire, in iisque luem procreare.

Haecce hypothesis falsa, nec ullis probabilibus argumentis stabienda in eum ipsos errorem induxit, ut opinarentur, si modo resorptio praevertatur, luem iam non amplius esse metuendam, quippe quae; veneno ulceris et ulcere ipso per topica deleto, nasci nullo pacto possit.

A. F. Heckerus hoc commentum ita amplexus est, ut crederet,³⁾ „ante resorptionem ulcus plane non nisi localem esse affectionem“, „immo extra corpus quasi positum virus esse“,⁴⁾ „uni topicae tractationi (per cathartica et caustica) sine ulla sequela cedens,“ ita ut, „si ulcera sola (id est, sine bubonibus) adessent parva, neque ultra duodecim dies steterint,⁵⁾ in una externa curatione sit acquiescendum.“

3) A. F. Hecker, über die ven. Krankh. zweite Auflage pag. 180; idem et Girtannerus statuit, cum aliis, qui etum secuti sunt.

4) Hecker l. c. pag. 67. „Beim Schanker liegt das Gift — gleichsam ausser dem Körper.“

5) l. c. pag. 182.

1) Non raro tamen ulcere canceroso per topica deleto, sine eo, quod bubo sequatur, lues ipsa emergit, eadem prorsus de causa.

2) Abhandlung üb. d. ven. Krankheit, Leipzig, 1787. pag. 428.

Quibus quidem dictis alio alioque in loco aperte iterum ipse repugnat, doctrinam suam (de impedienda resorptione sive que morbi venerei sine lue subsequi per celerem ulceris topicam deletionem curatione) penitus retractando atque contra statuendo: 6) „tempus, quo resorptio fiat, a nobis nunquam posse determinari“ —, item, alio loco: 7) „vel maxime acceleratam ad ulcus cancerosum, simulatque in conspectum venerit, escharotis, corum applicationem non necessario impedire, quominus lues syphilitica erumpat, quia resorptio iam facta esse quivérit.“ 8)

I. Hunterus pari modo sibi ipse repugnat. Ex altera parte enim asserit, 9) „simplicissimam ulcus tractandi methodum esse eam, qua ipsum destruamus atque extirpemus; ita fieri ut indolem vulgaris ulceris vel simplicis vulneris induat et simil modo consolidetur, eam tamen curandi rationem non nisi tempore eruptionis ulceris esse proficuam, dum vicinae partes nondum viro sint infectae.“

Ex altera autem parte 10) assertionem hancce suam in dubitationem rursus vocans, causticisque solis iterum diffusus, monet: „nostram notitiam de miasmatis propagatione“ (in vicina

6) I. c. pag. 180.

7) I. c. pag. 178.

8) En! quam incertos nos ancipitesque reddit tam in iudicio ferendo quam in medendi ratione constituenda hypothésis illa, quae ab experientia quotidie refutatur et usquequa redarguitur.

9) *Hunter*, I. c. pag. 386.

10) I. c. pag. 387.

loca) „non semper esse certam, quumque pro ulceris cancerosi magnitudine dubitatio de ea re augeatur, opus esse quodammodo, curationem apta quadam deligatione iuvare, ideoque consultum videri, ut ulcus mercuriali unguento obligetur; talis inter curationem parum modo periculi 11) imminere, ne totum corpus veneno imbuatur, imprimis si ulcus statim fere post eruptionem destruatur, tunc enim iusta ratione esse statuendum, resorptioni tempus nondum affuisse.“

Iam quomodo medicus exspectare potest, fore, ut ab aegrotis in ipso temporis punto, quo ulcus venereum eruperit, statim adeatur, heleoseos destruendae causa, quam ipsi saepe non nisi post aliquot dies animadvertisunt, et cuiusnam naturae sit, aliquamdiu haesitare solent, antequam medico sese committant!

Sed ne haec quidem assertio *Huntero* constat et denuo sibi repugnat, ita ut palam fiat, nec ipsum invenire potuisse tempus ullum, quo corpus per deletionem ulceris a lue tutum posset praestari; „negat enim, 12) experientia teste, unum ex quindecim aegrotis cui venereae elapsurum esse, si ulcus topice tantum curaveris.“

At vero iam tunc temporis nimis sero ad syphilitidem praeccayendam per ulceris extirpationem accedi, simulatque

11) Huiccine quaequo spei ambiguæ aegrotus suam yaletudinem committat? Luce sane clarius hinc patet, quam parum vir ille magnus se sua fultus hypothesi tutum senserit et quam saepe experientia ei repugnauerit.

12) I. c. pag. 531.

in conspectum ulcus venerit, docet experimentum ab *Huntero* ipso summa cura institutum¹³⁾ „quo virus venereum „glandi nec non praeputio inserbat et duo inde orta ulceræ „ipsissimo eruptionis tempore (eodem die) causticis remedii „delere adgrediebatur et tamdiu pergebat, donec localiter adhi- „bita mercuriali deligatione eadem consumeret.“ Sed siebat, „quod fieri debebat, „iam inter ulceræ destruenda bubo „prodire incipiebat, qui hydrargo fugatus luem ipsam re- „liquit.“

Nullum igitur est temporis punctum, quo, etiam si illud quam celerrime arripueris, ulcus ita queat depelli aut extingui, ut nulla id excipiat hies, et quidem ob eandem, quae in oculos incurrit, rationem, nimirum, quia iam antea existebat et quia omnes corporis partes, quae contagio erant aptae, quanvis occulte, vere tamen et perfecte veneno infectæ erant, dum prodibat ulcus, ita ut id nullo modo prius apparere posset, quam perfecta totius corporis contagio ad finem fuerit producta, neque ulla viri ex ulcere vel bubone opus sit resorptione ad perficiendam reliquarum partium contagionem, quum hæ iam tum perfecte sint miasmate vitiatae, antequam vicaria symptomata, (ulcus cancerosum et bubo) topice deleta fuerint.

Ex celeberrimorum auctorum morbi venerei curatione ipsa, quam incertam esse iidem fatentur, intelligitur, contagionem universalem iam tum factam fuisse, cum ulcus huius-

¹³⁾ I. c. pag. 551.

cemodi prodiret; etenim nec per localem ulceris deletionem nec per una adhibitum mercurii usum internum, tamdiu continuatum, ut resorptio miasmati sublata ipsis videretur, morbum certo modo extinctum iri, seu luem nunquam amplius esse erupturam, certa nobis fide spondere poterant.

Atque inter eos quidem primo loco *Hunterm* pono, auctorem fide dignum, observatoremque sollertissimum; ceteri enim minus tutam adeo agendi rationem sequuntur. Ex tota itaque huius viri narratione abunde patet,¹⁴⁾ nullam ipsi ul-

¹⁴⁾ Nescit *Hunterm*, quem ad gradum usque hydrargyrum, inter externam ulceris destructionem, intus praebendum sit, ut (pro sua sententia) contagio interni corporis, per viri ex ulcere resorptionem oriunda, quam tutissime prævertatur. Vaga tantum et incerta ratione præcipit, (I. c. pag. 385.): „si externa huiusmodi ulceris deletio quatuor hebdomadas duret et ad præpediendam ex eo contagionem quatuor mercurialis unguenti unciae sint illinendae, e re esse, ut, si alio in casu ad localem ulceris extinctionem trium hebdomadum spatio sit opus, tres etiam unguenti unciae infricentur.“ Quae quidem vaga et dubia ratio aegrotis de valetudinis restituzione cavere nullo modo posse videatur. — „Sua mercurii adhibendi methodo,“ ut ipse fatetur (I. c. pag. 533) „dispositio venerea (contagio), simulatque in quadam parte iam esset formata, impediri nequibat, quominus in syphiliticos effectus (symptomata) erumperet;“ per præviam enim talem, ab ipso institutam curam mercuriale præverti illud non poterat. — „Quodsi ante proximorum luis symptomatum eruptionem (I. c. pag. 531) mercurialis suis utebatur, contagium internum non tollebatur, ideoque syphilitici symptomatis ortus non præpediebatur.“ — „Quatuordecim diebus (I. c. pag. 537) post ulceris cancerosi per mercurialia sua deletionem, elapsis, efflorescentia syphilitica totum corpus tegebatur.“ — „Aegrotum (I. c. pag. 529) faucium ulcere syphilitico laborantem plena

ceris cancerosi curationem, siue externis, siue internis, siue etiam utrisque institutam remediis, innotuisse, qua non solum ulcerus sanaretur, sed corpus etiam a glandularum inguinalium abscessu vel a partium primi ordinis symptomatibus syphiliticis (faucium ulcere) plane tutum praestaretur. Patet porro, nullam ipsi curationem innotuisse faucium ulceris, qua non modo ipsum sanaretur, sed et corpus a secundi ordinis partium symptomatibus (maculis cupreis et cutaneis ulceribus pustulisque) tutaretur, nec curationem ullam, qua non solum haec amoverentur, sed partes etiam tertii ordinis certa quadam ratione defenderentur, ne nodi periosteis syphilitici, tophique noctu dolentes orirentur.

Ignorabat igitur cum ceteris, qui eum sequebantur, medicis methodum certam, aegrotos ita sanandi ut prohiberetur, ne plura, nedum omnia mali venerei stadia (ad periosteis nodorum cruciatus nocturnos usque) percurrere cogerentur, prius-

„hydrargyri cura pertractabat, et nihil secius quinque post menses enascebantur periosteis nocturni dolores intraque tibia.“ — „Aegrotus (l. c. pag. 525) statim post ulceris cancerosi ortum mercurio per tres menses curatus, elapsis aliis tribus mensibus, febre comite maulis syphiliticis et periosteis doloribus capessebatur.“ — Haec ille; verum si reliqui huic scholae addicti auctores aequa fide infelices et lue finitas, quae ipsis contigerint, curas literis mandassent, multo maior sane numerus earum ab ipsis esset commemorandus, quam ab Huntero, quippe inter omnes suae scholae medicos ad hunc usque Swediae et paucissimos alias exceperis.

quam, et his ultimis symptomatibus intra fere triennium sanitatis, vere adseverare posset, syphilitidem radicus esse extirpatam. At vero fieri nequaquam poterat, ut ars eius plus in morbo venereo debellando valeret, quuin falsa theoria (ulcus cancerosum mere esse locale) induceretur ad localem ulceris cancerosi deletionem, nec melioribus medicamentis mercurialibus in curando esset instructus, quam mercurio calcinato, acerrimo praeparato, et unguento mercurii griseo, cuti infricando, de quibus ambobus praeparatis constat, ipsa ad citam, tutam et certam mali venerei extinctionem nullo modo esse idonea.

Irritum sane foret, si reliqui medici, quippe fere omnes Huntero quoad morbi venerei curationem inferiores, se maiore in medendo usos fuisse felicitate nobis persuadere conarentur, quum quotidie non parvam aegrotorum luis venereae symptomatibus stipatorum copiam ante oculos habeamus, vel a celeberrimis medicis frustra hucusque tractatorum.

Heckerus, vir dialectices quidem gnarus, sed praecognitis opinionibus plenus, et malae fidei, omnia vera et bona ex aliis auctoribus clam congesta tanquam a se detecta¹⁵⁾

15) Ita quavis oblata occasione febrem mercurialem acutam, a patre meo primum descriptam et miasmati venereo perfecte extinguedo necessariam, maledictis (sed frustra) incessit, tanquam rem vanam, nihiloque tamen secius ipsam alio loco ut primariam medelae legem iisdem symptomatibus et verbis, ex patris mei libro (*Unterricht für Wundärzte über die venerische Krankheit. Leipzig, 1789. §. 290*) haustis proponit, quae pro suis (l. c. pag. 404, 405) venditat, et a sese inter mercurii dulcis, sibi gratissimi, usum observata esse simulat,

venditare suisque falsis sententiis admixta tradere solitus, ita ut nihil certi¹⁶⁾ in eo invenias, etsi magnopere de eruditione per experientiam acquisita gloriato, hic, inquam, ipse non potest, quin fateatur,¹⁷⁾ nullum sibi innotuisse exemplum, quo vere syphiliticum ulcus sine omni externorum remediorum usu satum fuisset.

Ex quo elucet, nec hunc, nec ceteros ei similes auctores ullam unquam ulceris cancrosi medelam atque extictionem totius venerei morbi unica convenienti cura per aptissimum hydrargyri praeparatum — mercurium solubilem — ad finem perductam nec vidisse, nec perducere potuisse,

quod tamen remedii genus nusquam terrarum hanc meram (acutam) febrem mercuriale procreare posse reperitur, non nisi inter puri oxydali mercurii nigri (h. e. veri mercurii solubilis Hahnemann) usum animadvertissem.

16) Contendit verbi causa (l. c. pag. 186.) „hydrargyrum veneno syphilitico in lymphaticis vasis (post resorptionem ex ulcere, quae creditur) obviam factum iam sufficere ad suos effectus in illud statim „exserendos.“ — Per solum igitur, quae, attactum, per solam neutralisationem chemicam? At nihilominus tamen alio loco (l. c. pag. 64) „mercurium syphilitidi non nisi eo mederi dicit, quod vires naturae „medicatrices ad eam actionem intendat, quae ad vencream humorum „corruptionem tollendam requiratur.“ Sie et pag. 182, praecepit: „ut „plane in sola externa curatione acquiescat, si ulcera parva per duo- „decim ad summum dies steterint;“ quum tamen paulo ante (pag. 180) „uti supra monui affirmet tempus plane a nobis ignorari, quo resorptio fiat (itaque etiam tempus, quo externa ulceris tractatio sufficiat.) Tam aperte homo ambiguus et multiplex sibi ipse contradicit!

17) l. c. pag. 187.

quandoquidem, hypothesi de mera ulceris cancrosi localitate inhaerens *Heckerus*, ut factam miasmatis resorptionem inhiberet, praeprimis *mercurio dulci*¹⁸⁾ utebatur ad malum venereum sanandum ineptissimo omnium medicamento.

Bellius confitetur¹⁹⁾ quidem, si spem in sola topica deletione repositam habueris, internum vero mercurii usum neglexeris, mox per alia symptomata syphilitica patesfieri, toto corpore miasmine imbuto, luem adesse.

Attamen externam ulceris extinctionem in auxilium vocat. Quo consilio? Quod nimis hydrargyri vim hunc ad finem adsequendum non sufficere reperiret, h. e. quod usum optimi praeparati mercurialis (mercurii solubilis) contra syphilidem nesciret, atque unis inflictionibus hydrargyri, usque ad decimum quartum dieni post ulceris deletionem continuo augendis²⁰⁾ consideret, (rarissime enim ad pilulas caeruleas intus sumendas configiebat), ita ut semper salivationem cieret et continuaret. Ad eiusmodi curationem ei opus erat quatuor et plurimum, immo tredecim hebdomadum tempore;²¹⁾ quae methodus inter vehementem priscorum salivationem et eam mendendi rationem, quae purgantibus remediis balneisque saepe

18) l. c. pag. 402.

19) *Ueber den ven. Tripper und die ven. Krankh. Leipzig 1794 Band II.* pag. 265.

20) l. c. pag. 213.

21) l. c. pag. 216.

interrumpi solet (sic dictam methodum per extinctionem) medium tenere ipsi videbatur.²²⁾

Sed ut taceam, diuturniore hacce maceratione per salivationem aegrotos diu debilitari, etiam a *Chicoyneau*,²³⁾ *Andree*²⁴⁾ atque pluribus aliis probis observatoribus plane est demonstratum, salivationem delendo morbo venereo omni ex parte magis obesse quam prodesse.

Bellius ipse etiam profitetur,²⁵⁾ se, causticis ad ulcer debellandum non adhibitis de morbo rite curando diffidere, adjiciens duo exempla salivationis plures hebdomas continuatae, qua tamen ulcer non fuerit sanatum. De quo nobis facile persuaderi patiamur, quum salivatio, i. e. adhibitio praeparati mercurialis, quod prae ceteris salivationem urget, quale unguentum hydrargyri et Calomel esse videmus, parum idonea morbo venereo radicitus delendo inveniatur. Quin et mercurius cum melle tritus,²⁶⁾ quo *Bellius* in suis pilulis caeruleis utebatur, facillime movet salivationem.

22) I. c. pag. 211.

23) Vid. *Quaestio med. an ad curandam luem venereum frictiones mercuriales in hunc finem adhibendae sint, ut saliva fluxus continetur.* Monspel. 1718.

24) *Observations or the theory and cure of the venereal disease,* Lond. 1798.

25) I. c. pag. 262.

26) Massa ex aequali parte mercurii et mellis, cum duabus partibus micae panis composita per quinque ad sex hebdomas continuas, vel septenis quotidie horis conteritur. I. c. pag. 189.

Girtannerus multo minus erit imitandus, qui levis tantum et tristum sequelarum negligens suadet,²⁷⁾ „ut recentia ulcera cancrosa mere localiter curen tur, eoque magis, quod resorptio non nisi post aliquod tempus fiat et principio venenum in ipso loco destrui queat.“

Si scisset ulcer cancerosum nunquam erumpere, nisi totum corpus contagione syphilitica prius inquinatum exstiterit, sane hoc perversum et nocivum consilium non dedisset.

Nequaquam sicutur, si de optima morbum venereum curandi ratione disquiratur, *Girtannerus* audiendus est, quippe cuius curae non nisi per pauci aegrotorum committentur, quiique magis ingenii acuti et polygraphiae, quam fidei observatoris famae studeret.

Svediaur, medicus probus et in morbis venereis eu randis versatissimus, atque ita classicae auctoritatis, honorifice praecellit ceteros eo, quod causticis, imprimisque lapide infernali, quoniam ulcera infra crustam subtus rodentia inde oriri observaverat, ad delendum ulcer cancerosum uti vetat, solumque mercurium dulcem ulceri cancroso inficari jubet, neque, ut alii solent, ab his topicis solis, sine interno mercurii usu, sanationem exspectat, ne tum quidem, cum malum modo locale visum et recens ortum sit.

27) *Abhandlung über die ven. Krankheit.* Gött. 1803. pag. 215. Quem et accuratissime et acutissime, ut solet, refutavit vir exper. I. C. F. Leune; vid. eius *Additamenta ad tomum secundum libri: Buchan, Anweisung in den ven. Krankh.* Leipzig 1801. pag. 43—51.

Sed tamen a partibus scriptorum, qui ulceris catierosi praesentiam, miasmatis venerei per totum corpus dissipati indicium statuunt,²⁸⁾ (quos vero non nominat) recedit, quamvis non habeat, quo eos refutet, vel suam contrariam opinionem probet.

Praeterea etiam ad recentia ulcera delenda his, quae dixi, topicis praecipue confidit,²⁹⁾ in quo sane graviter errat.

Huius interea effati errorem in quem vulgari theoria magis, quam suo ductus iudicio, incidisse videtur, lenit fatendo, contagionem, ulcere aliquandiu existente, per omne corpus diffundi, tumque ulcus cancerosum praesentis luis nuntium esse, ac propterea mero mercurii usu interno sine ullis externis remediis sanandum,³⁰⁾ „quia,“ ut addit, „si solo interno hydrogyri usu sine ulla tapicorum adhibitione ulcus deletum

28) *Traité complet des maladies syphilit. Paris, 1798. Tom. I. pag. 298.*

29) „*Les ulcères syphilitiques récents ne sont qu'une maladie locale, qui exige principalement des applications topiques*“ ibid. pag. 298—299.

30) „*Je conviens sans doute, que s'ils subsistent pendant quelque temps, l'infection de tout le système s'en suivra nécessairement; et alors, aussi bien, que lors qu'ils procèdent d'une infection universelle, ou secondaire, ce sont certainement, ainsi qu'on l'a assuré, des signes extérieurs, qui prouvent la présence du virus dans la masse générale. Dans ce cas, je suis bien de la même opinion, qu'il seroit bon, de ne les traiter que par l'usage intérieur du mercure, sans aucune application extérieure. l. c. pag. 299.*

„fuerit, tunc demum miasmatis eradatio et aegroti sanatio rata sit atque certa.“³¹⁾

Iam viro experientissimo et summe probo nihil erat impedimento, quo minus, rectam viam ingressus, in omnibus atque singulis pure venereis ulceribus cancerosis topica sepneret, nisi hypothesis localitatis ulceris cancerosi et insufficientia praeparati mercurialis (ulceri canceroso pertinaci in cute corporis firmiore sanando imparis) quo utebatur. Infricationes nempe unguenti mercurialis adhibebat, quarum tamen incomoda et damna clarius et magis ingenue docet,³²⁾ quam ceteri omnes hujus morbi scriptores.

Si scisset, corpus totum miasmate venereo jam tum esse infectum, simulatque ulcus cancerosum in conspectum venit, et si mercurium solubilem, ejusque vim et usum nosset, omnia ea, quae infractionibus perfici nequeunt, perficeret potuisse, nec in ulceribus cancerosis mere venereis, in phimosis et paraphimosis, immo in bubonibus ipsis ad topicorum usum confugere coactus fuisset.

Hypothesis sua,³³⁾ mercurium non nisi contactu et chemicæ miasma destruere, arcebat eum ab indagatione praeparati, quo corpus magis dynamice afficeretur et necessaria febris mer-

31) *Parceque, si le seul usage du mercure à l'intérieur les fait disparaître sans le secours d'aucun topique, l'on est sûr d'avoir déraciné le virus et guéri le malade radicalement. l. c.*

32) l. c. Tom. II. Chap. VIII, IX.

33) vid. Tom. II. *Introduction.*

curialis, certius tutiusque gigneretur, quam unguento mercuriali.

*Fritzius*³⁴⁾ magis apposite, quam ceteri omnes, mettam feriit veritatemque amplexus est, qui frictionum³⁵⁾ sicut et mercurii sublimati³⁶⁾ et topicorum³⁷⁾ damna in curando ulcere venereo probe perspiciebat atque evitabat. Ipse nunquam, ut nec pater meus, vidit exemplum ulceris cancerosi, quod mere per topica deletum, vel, ut isti dicunt, sanatum, bubo et lues venerea non insecura fuisse.

Ipsi persuasum est,³⁸⁾ „simulac ulcus cancerosum in pudendis formatum fuerit, iam eo ipso tempore miasma venereum in succos organismi transisse.“

Dum primis temporibus *Saunderi* rubrum et cinereum hydrargyri praeparatum, postea vero, multo purius, *mercurium solubilem Hahemann* adhibebat, in ulceris cancerosi et reliqui morbi pure venerei medela, nihil aliud spectabat, quam ut febre mercuriale exquisitissimam cieret, qua quidem ratione exacte imitabatur doctrinam patris mei,

34) *Handbuch üb. d. ven. Krankh.* Berlin 1790.

35) I. c. Kap. 9.

36) I. c. Kap. 10.

37) I. c. pag. 121. Non minus perspicue Clariss. I. C. F. Leune damna topicae tractationis intelligit, et graviter mercurii solubilis unicum internum usum suadet, vid. *Zusätze zu Buchan* I. c.

38) I. c. pag. 122. Similiter C. F. Clossius, *üb. d. Lustseuche*, Tüb. 1797, pag. 243—244. declarat: „probabili nos conjectura posse assequi, resorptionem venerei tum ordiri, quando miasma in-

qui in libro suo⁴⁰⁾ non solum confectionem optimi praeparati mercurialis (oxyduli Mercurii nigri, sive Mercurii solubilis) primus docuerat, sed etiam damnum et nequitiam topicae ulceris venerei cancerosi curae luculenter demonstrarat,⁴¹⁾ atque hujus medelam per solum internum mercurii solubilis usum talem ut exquisitissima febris mercurialis excitaretur,⁴²⁾ praescripserat, probaratque, vel pessimae indolis phimoses ac paraphimoses ut plurimum interno optimi mercurialis praeparati usu sanari.⁴³⁾

Postea, intra spatium viginti annorum, pater meus in hoc curationum genere magis magisque progressus experientia edocebatur, nullam pure inflammatoriam, atque solum ab ulceribus cancerosis ortam phimosen vel paraphimosen, sicut nec venereos (idiopathicos) bubones, nec ipsos periosteis nodorum dolores nocturnos ullo alio ad sanationem integrum indigere remedio, quam febre mercuriali cito mota per oxydulum hydrargyri nigrum (merc. solubil.), cuius praeparationem interea ab ipso emendatam in pluribus scriptis divulgavit.

„cipit irritare vasa lymphatica, i. e. eo temporis puncto, quo ulcus gignitur.“ Idem sentit *Boettcher*, *Bemerk. üb. Medicinalverfassung, Hospitäler und Curarten*, 1800, Heft I. pag. 91. et *Thomann in Röschlaub's Magazin*, Band II. pag. 306.

40) *Unterricht für Wundärzte über die venерischen Krankheiten von Dr. Samuel Hahnemann*, Leipzig, 1789.

41) I. c. §. 273—284.

42) I. c. §. 290—293 et 614—635.

43) I. c. §. 302, 303.

Quo quidem ex tempore aegrotos, venereo morbo affectos innumeros semper unica cura mercuriali intra paucas hebdomadas, sine ullo ulceribus cancerosis adhibito topico, sanitati restituit integrae, h. e. ita, ut nulla unquam luis subsequerentur symptomata.

Nuper correctiores de hac re edidit cogitationes,⁴⁴⁾ ex quibus haud parum lucis luminisque accedit theoriae de ratione, quae inter ulcus cancerosum bubonemque et inter luem venereum intercedit.

Hanc theoriam a patre meo in dies perfectiorem redditam, aliquanto uberiori jam proponere conabor, ut instituto hujus disputationis satisfiat.

Plures inveniuntur ex miasmate orti per contactum morbi, in quibus a veneno extus adipicito malum topicum in loco infecto non prius explicatur, quam morbosa mutatio jam totum organismum penetraverit.

Variolosa v. g. ut et vaccinalis pustula post insitionem non prius perfectionem et specificam formam adipiscitur, quam post febrem variolosam vel vaccinalem in toto corpore ortam. Plica porro polonica non prius in capillio nascitur, quam post accessum febris huic morbo specificae. Ita, si attentius observamus, exanthema scabiosum post insitionem scabiei non

⁴⁴⁾ vid. *Organon der rationellen Heilkunde von Samuel Hahnemann*. Dresden, 1810. §. 167.—174. conf. c. Nota ad §. 175.

prius in cute explicatur, quam febris efflorescentiam praegressa indicat, totum corpus internum miasmate esse affectum.⁴⁵⁾

Quo quidem per febrem scabiosam impetu totum corpus morbose esse affectum, eo clarius elucet, si scabies per aliquod tempus perstiterit, atque in cute perfecte sese constituerit.

Tum enim, si externis remediis (mercurii praecepsato, saturninis, vel sola sulphuris unguenti applicatione) exanthema locale cito deleveris, cutis quidem fit pura et integra, sed interna jam organismi morbosa affectio, per pulmonis et aliorum viscerum exulcerationes, artium dolores, mentis morbos, tambem, etc. sui indicia praebet.

Quae quidem universalis aegrotatio⁴⁶⁾ post scabiei per sola topica deletionem improprie, immo perverse *ad repulsionem miasmatis in corpus internum* a medicis vulgaribus refertur. Hem! quo tandem pacto fieri unquam posset, ut exanthema *cutaneum* ad partes internas transferatur? Cutem per topica a scabie liberatam (v. c. per sulphureum unguentum) quis neget? Cur tandem interna valetudo non integra manet? Propria Topicis vis medica lenis tantum, nec venenosa erat. Cuti magnum malum est ablatum. Quidni ergo valetudo reliqui corporis eo magis vigeret? Qua

⁴⁵⁾ Quam Muzell, in *Sammlung von Beobachtungen*. Tom. II, observavit.

⁴⁶⁾ Observationes huiusmodi innumerae ab auctoribus de scabie repulsa sic dicta recensentur.

quaeso de causa nunc demum homo aegrotat pessime,⁴⁷⁾ saepe ad vitae periculum, immo ad internectionem usque?

Respondendum: ante eruptionem exanthematis in cute, internae corporis universi partes jam eo, qui proprio scabiei subest, infectae, erant morbo, tanto magis, quo latius scabies per cutim serpserat, intus augescente; hic internus morbus jam non potuit ulterius latere, propterea quod, cute ab exanthemate liberata, solus in organismo remanserat.

Facile inde perspicitur, internum morbum psoricum modo ea de causa tamdiu silere, quamdiu scabies in cute vigeat, quia a natura sapienter est institutum, ut symptoma externum locale (scabies cutis) vices quasi agat interni morbi, cuius vehementiam ad se revocet, atque derivet; quamvis haec derivatio tantum palliatiya sit.

Id ipsum videmus in multis seniorum hominum morbis, mitescentibus exorto crurum ulcere putrido, quo vigente, internus morbus fere deletus esse videtur. Sed non deletus est. Simulatque enim per solam topicam (licet mitem) medicinam ulcus crurale abolitum est et extinctum, statim internus morbus (nisi eum prius homoeopathicamente interno sanaveris) emergit tam ferox, quam antea et per se erat, quum jam symptomate cutaneo careat, vim suam huc usque, vicario modo, minuente atque sopiente.

47) Morbus qui, ad scabiem pertinens, hucusque intus dormiebat, interdum apparet tam repente, ut non posset non ante deletionem externae efflorescentiae adesse. vid. *Unzer's Arzt*, C C C St. pag. 508.

Ita etiam internus, qui plicae polonicae subest morbus pristina vehementia redeat necesse est⁴⁸⁾ statim ac interni vitii vicarium symptoma externum, i. e. tactu subdolens et foetida capillorum massa (trichoma) prope capitis cutem absissa fuerit.

Sic etiam internus morbus psoricus (nisi prius interno remedio homoeopathicamente, h. e. sulphure, sanaveris) emergit atrociter simul atque eius symptoma externum vicarium (cutanea scabies) fugatum ac deletum fuerit solo topico, vel ex mercurialium aut saturninorum genere, vel ipso unguento sulphureo.

Et eadem prorsus ratione qui venereae totius corporis contagioni subest morbus internus, lues syphilitica (nisi prius eam medicamine interno homoeopathicamente, oxydulo mercurii nigro, sanaveris) emergat necesse est, postquam symptoma vicarium externum, ulcus scilicet venereum primarium (*Chancere*) ipsi abreptum fuerit, topica tantum adhibita tractatione.

Quamdiu enim ulcus cancerosum in loco, quo enatum est, manet intactum, i. e. nullo locali remedio, nec valetudinis vehementiori turbatione, v. c. febri exorta etc. de suo loco depellitur, tamdiu non nisi ambitu augescet,⁴⁹⁾ nec ulla prodet symptomata latentis syphiliticae luis, quae tamen (nisi prius apta mercuriali eura interna fuerit sanata) appareat necesse est, postquam virus in se convertens recipiensque symptoma locale

48) *Stabelius*, Diss. Singul. Observat. de plica polonica. Halae, 1724. *Act. Natur Curios.* Vol. III. App. pag. 158. *Eph. Nat. Cur.* Dec. II. ann. 10. obs. 19.

49) Huius rei exemplum ex patris mei observatione infra referam.

(*Chancré*) ipsi fuerit abreptum; ulcere vel excisione, vel causticorum, immo mercurialium lenium remediorum externa applicatione deleto.

Quod ita vere se habere, probant etiam omnium, qui non praecognitis opinionibus imbuti sunt, medicorum observationes.

Ortus enim syphiliticae luis non fit, ut falso rentur, quamvis viri sic dicta repulsione ex ulcere canceroso, quod initio mere locale ⁵⁰⁾ perhibent, in partes corporis internas versa, quas nunc demum infectum iri opinantur, quando venenum, ex ulcere canceroso vel bubone vectum, interna petierit.

Talis rei interpretatio non minus falsa deprehenditur, quam quod scabiem ex cute in internas corporis partes, immutata indole, pelli existimant.

50) Nullus in vivo corpore morbus cutis, mere localis nec reperiri nec cogitari potest. Omni tempore etiam viri exstiterunt sapientes, qui naturae observandae intenti et intelligendi pariter atque cogitandi facultate instructi, perspicerent, corpus humanum, dum vivat, unum Totum constituere omnibus inter se partibus collaterens et coniunctum ita, ut partium organisatarum nulla sit, quae non ad reliquarum omnium existentiam et naturam constituantur ac servandam pertineat, et necessario requiratur, nec alia sine alia esse queat. Quod quidem organorum omnium corporis vivi mutuum et arctum inter se vinculum tam late patet, ut si quaedam partes aegrotent, caetera simul plus minusve ita adficiantur, ut sanae manere nequeant, immo, si *vel una* pars aliquamdiu aegrotet, per vitalem nexum cum ceteris coniuncta, ipsa etiam ceteras has in sympathiam trahat, efficiatque, ut et hae quadam tenus aegrotent. Quo fit, ut unius partis morbus, si aliquamdiu persistit, mere localis, i. e. sine affectione morbosa reliquarum organismi partium, neque existere, neque cogitari possit, unius organi vitio post breve tempus in universi corporis morbum degenerando.

Hanc translationem non fieri, etiam *Jesse Foot*⁵¹⁾ per experimenta luculentiter demonstravit, qui virus ex ulcere canceroso et blennorrhoea urethrae eorumdem hominum vulneri aliarum partium sedulo infrecavit, diuque satis inhaerere vulneribus vel pustulis sivit, nec tamen unquam venereum ulcus inde nasci aut aliud quid mutari sensit.

Denique iuvenis cuiusdam ab equitatione natae intertrigini ichorem ex eiusdem blennorrhoea urethrae venerea infrecavit, et aegrotus ipse virus idem his partibus pluries per diem, iussu medici, attrivit, nec tamen quidquam in intertrigine est mutatum.

Itaque etiam hinc intelligitur, virus ex ulcere canceroso nullum neque repulsionem neque resorptionem ad ceteras partes ita transferri posse, ut nunc demum ex ulcere *eiusdem* corporis inficiantur morbo universali venereo, quem syphilidem vocant, quum, ut illa experimenta docent, ceterae partes a materia morbosa in alio *eiusdem* corporis loco nata et praeparata infici nequeant.

Praeterea etiam observationum documenta, quae attulimus atque allaturi sumus, et sana ratio nos docent, neque cancerosum ulcus, post contagii attactum, extrinsecus, cutis quadam per venenum locali erosione fieri, sed naturae internae ope progerminare, neque virus in ulcere canceroso gigni posse sine opera sociata et consensu oninum et fluidarum et solidarum partium totius corporis; quae quidem ulceris productio, et

51) *New discovered facts* (pag. 28.)

viri venerei in ipso praeparatio (ob intimam harmoniam et conspirationem omnium partium ad unum integrum organismum constituendum) sine praevio et universalis omnium singularium partium contagio fieri nullo pacto poterat.

Corpus igitur jam totum infectum fuerit necesse erat, antequam ulcus cancerosum vel nasceretur vel, natum, topica tractatione deleretur, et, si vel in ipso proventu extirparetur ulcus cancerosum, lues tamen non poterat non insequi, quoniam contagio corporis universalis ante ulceris cancerosi ortum erat praegressa.

Atque hanc quidem praeviam (ante ulceris eruptionem factam) internam contagionem (i. e. illam totius corporis irritationem et morbosam affectionem, quam contagio omnium internarum partium a tempore localis attritionis miasmatis venerei in coitu ad ulceris procreationem usque efficit) etiam per phaenomena morbosa in toto organismo obvia demonstrare possemus, nisi duae prohiberent causae, quarum altera est in observando negligentia et incuria medicorum aegrotorumque, de qua hic nil attinet dicere, altera vero, lenitas ut plurimum hodierni mali venerei.

Morbus enim venereus recentiori aeyo natura quidem sua non mutatus est, at a ferocia pristina multum remisit atque ita mitigatus est et elanguit, ut jam raro, nec nisi summa attentione adhibita, morbosam affectionem illam universalem in homine infecto animadvertis, antequam ulcus cancerosum (vica-

rium internae luis symptoma externum) in loco a natura constituto appareat.

Corpus autem universum hoc tempore vere affici, exemplis probare possumus circa illud tempus observatis, quo morbus initio vehementiae atrocioris sua luculentius prodebat symptomata. Ibi morbo grandioris formae in oculos nostros incurrente magis conspicue cernimus symptomata, quae jam in morbi, qui nunc est, forma minuta oculorum obtutum saepe fugiunt, prout insecti parvuli artus exiles oculorum aciei se subducunt, nisi per vitrum lenticulare, objecta visui forma ampliori repraesentans (Microscopium) eosdem intuearis.

Sic *Antonius Benivenius*, testis morbi nascentis vetustior, ⁵²⁾ „Incipiebant enim“ inquit, ⁵³⁾ „pustulae genere diversae in genitalibus membris — subsequebantur hujuscemodi pustulas, licet etiam interdum praecedent, articulorum dolores, qui non minore cruciatu torquerent“ etc.

Ita et *Alphonsus Ferrero* ⁵⁴⁾ „interdum“ inquit, ⁵⁵⁾ „nec pustulae in principio morbi, nec dolores apparent, nec aliud quod aliud signum, sed macies et pallor quidam totum corpus occupat,“ etc.

52) Anno 1499.

53) *Collectio Luisini de morbo Gallico*, Venet. fol. 1566. Tom. I. p. 345.

54) Circa annum 1537.

55) Apud Luisinum. I. c. pag. 374.

Omnium vero vetustissimus⁵⁶⁾ observator *Casper Torrella*, „Secundum plurimum“ dicit⁵⁷⁾, „prius incipiunt dolores (osteocopi) quam pustulae.“ Idem in relatione ejusdem historiae aegroti venerei ita refert:⁵⁸⁾ „Vir quidam in acetate consistente existens. — Pudendagra evenit ei, dormiendo in eodem lecto cum fratre suo infecto, et incepit a doloribus; tandem, post duos menses, facto tota die laborioso exercitio, in nocte, hora qua molestabatur a doloribus, a capite usque ad pedes correptus fuit pustulis grossis, crustosis, cinereis, etc.“

*Hieronymus Fracastorius*⁵⁹⁾ in poëmate de syphilitide dicit; saepe symptomata morbi praevia et praecurrentes notas quatuor menses durasse antequam ulcus cancerosum (caries) enasceretur.

„In primis mirum illud erat, quod labe recepta,
„Saepe tamen quater ipsa suum compleverat orbem
„Luna prius quam signa satis manifesta darentur.
„Scilicet extemplo non sese prodit aperte,
„Vt semel est recepta intus; sed tempore certo
„Delitet et sensim vires per pavula captat.
„Interea tamen insolito torpore gravati,
„Sponteque languentes animis, et munera obibant

56) Circa annum 1497.

57) Apud *Luisinum* l. c. pag. 424.

58) l. c. pag. 473.

59) Circa annum 1521.

„Aegrius et toto segnes se corpore agebant.
„Ille etiam suus ex oculis vigor et suus ore
„Deiectus color haud laeta de fronte cadebat.
„Paulatim caries foedis enata pudendis
„Hinc atque hinc invicta locos atque inguina edebat.“⁶⁰⁾

Simili ratione refert alio loco:⁶¹⁾ „Sed neque statim manifestabatur, verum certo tempore delitescebat; interdum quidem per mensem, interdum per duos, saepe et per quatuor menses. Interea tamen signa erant conceptae labis. Animus tristitia quaedam tenebat, corpus lassitudo, pallor faciem; tandem, quod in maiore parte inerat, ulcuscula quaedam circa pudenda oriebantur, etc.

Nicolaus Massa; vir inter maxime fide dignos observatores referendus circa tempus, quo morbus non nisi annos triginta sex inter Europaeos esset grassatus: „Anteceditque,“ ait,⁶²⁾ „dolor capitis, qui incipit in occasu solis et declinat ante ortum solis, qui saepe ad spatulas (scapulas) et aliarum iuncturarum partes extenditur; et patientes sunt pigri, somnolenti, et mutatur color ad pallorem; nutrimenti defectus sensibilis saepè est. Et aliquando est febricula et saepissime apparent ulcera virgae, quae sunt mala cum duritie callosa etc.

60) Apud *Luisinum*, l. c. pag. 163.

61) Apud *Luisinum* l. c. pag. 173.

62) Apud *Luisinum* l. c. pag. 41.

Fallopia suo quoque tempore⁶³⁾ vidit morbum pudendagiae praecursorem totumque corpus affidentem, antequam symptoma locale enasceretur; ita enim: „Statim cum adolescens infectus est,” inquit,⁶⁴⁾ „sentit levem lassitudinem sponstina membrorum, saevum morbum *praenuntiantem*, cum tamen prius robustissimus et animosissimus esset; percipitur gravitas in corpore toto et praecipue a somno; sentit torporrem, gravitatem, segnitem in universo corpore. Praeterea adest dolor vagus, parvus per universas partes. Post lassitudinem corporis nunc dolet caput, statim cessat, aditque humorum nunc dextrum, nunc sinistrum, linquit hos, invadit crus unum aut alterum et sic facit de singulis membris; tertio loco immutatur color faciei — in deterius, spatio trium aut quatuor dierum. Immutatur color et spiritus oculorum, os, labia, genae subvertuntur; sub oculis appetit circulus lividus, qualis appetit in mulieribus menstruatis. Quarto, calor insignis in vestigiis (volis et plantis) manuum et pedum. Quinto addatis somnolentiam saepe interruptam et quasi corporis inertiam — moestitiam, subito (post infectionem) moeror succedit. Solet aliquando febricula adiungi; sed hoc raro fit. Octavo loco et caries (*chancre*) moderata. Non in loco succedunt bubones moderati. Coivit adolescens cum

63) Circa annum 1555.

64) Apud *Luisinum* 1. c. pag. 677.

„foemina; supervenit torpor, moestitia et post duos dies appetet bubo parvus, etc.

Circa idem tempus narrat *Petrus Haschardus*: „Cum quis igitur,” ait,⁶⁵⁾ „primo hoc morbo capit (princeps enim humores infectat et corruptit, quam partes solidas); sentit per universum corpus quandam lassitudinem ulcerans, ac punctiones dolorosas cum leni febricula, praesertim corpore excalefacto, praeterea gravitates capit et dolores iuncturarum, eoque magis circa noctem; etc.

Quis est qui tam fidelibus relationibus perfectis audeat inficiari, morbum venereum natura sua, postquam homo a tactu sit infectus, primo clam et subreptitio modo impetum in corpus facere. omnesque contagiō idoneas partes miasmate penetrare, antequam primarium symptomā locale, ulcus cancerosum (et bubonem) prodere possit, quod in cute semel constitutum quam diutissime partes lue universali infectas a prorumpendis earum passionibus arcere, nostris temporibus destinatum est (quod autem illo tempore, quo oriebatur morbus, fieri non satis poterat ob nimiam miasmatis atrociam).

Statim post adfrictionem veneni in partem idoneam (locum cute destitutum, vulnus, etc.) contagio incipit per totum corpus propagari, omnesque partes, contagio pares ita specificē immutare, ut syphiliticae fiant; et tunc demum, contagione universali ad finem perducta, ulcus cancerosum in con-

65) Apud *Luisinum* 1. c. Tom. II. pag. 72.

spectrum prodire potest, sive in illo ipso loco, ubi vénenum primo inficatum et intritum fuit, sive, quod rarius est, in loco aliquantum remoto, in glandulis inguinalibus; forma abscessus, qui bubo nuncupatur. Alterutrum symptoma locale enascitur, quamprimum totus hominis organismus miasmate venereo imbutus est atque infectus.

Atque haec totius organismi morbosa immutatio raro brevi tempore peragitur. Infrequenter nychthemero⁶⁶⁾ post concubitum impurum ulcus cancrosum oritur, frequentius post tres aut quatuor dies, saepe post septem aut quatuordecim dies; rarius post sex septemve hebdomas.⁶⁷⁾

Gravissimi sane momenti censendum hocce tam diutinum quasi silentium et tacita quies partis miasmate tactae et ad considerationes serias invitat. Etenim quo pacto inde a prima veneni insitione usque ad ulceris canerosi proventum, locus miasmate inquinatus per septimanam; per duas, tres et

⁶⁶⁾ Hoc brevissimum est spatium, in quo organismi contagium perficiatur, hacque totius corporis mutatione morbosa peracta, ulcus cancrosum enasci incipiat. Sed perraro hic processus morbosus tam cito peragitur et, tam secundum Hunterum, quam Bellum, infrequentius exempli.

⁶⁷⁾ Bellius (l. c. Tom. II. pag. 12.) post sex, Hunterus vero (l. c. pag. 368.) post septem et octo hebdomas ulcus cancrosum natum esse vidit.

Swediaur dicit (l. c. Tom I. pag. 275): „ceux, qui viennent sur la surface du corps“ (in loco cute vestito), „paroissent rarement avant 20 ou 30 jours.“

plures hebdomas iners, immo integer videri possit, nec ullum ulceris futuri signum pródat, — secundum vulgarem sententiam, qua virus venereum in loco infecto nil nisi erosionem⁶⁸⁾ gignere eidemque ulcus topice quasi injurere finitur, explicari minime potest. Nihil enim in parte infecta arroditur intra spatum multorum dierum. Pars neutiquam mutata, immo integrissima videtur. Nulla deterio, nulla lotio partem a malo, post aliquod tempus nascituro, defendit. Uno verbo; ortus ulceris canerosi post plures septimas absonus plane videretur, et inexplicabilis, nisi statueremus, locum primo infectum manere quidem interea aptissimum ad ulceris venerei progerminationem, ulcus tamen ipsum, sive locale symptoma, nequaquam se ibi exserere posse, donec omnes contagio idoneae corporis partes per miasma, organismum undique penetrans, lue syphilitica sint infectae, quarum synergismo et opera iuncta tum demum confiat et constituantur ulcus cancrosum in eo loco, qui primus miasma suscepit, locale nempe symptoma, quod vices interni mali gerat, ita ut donec intactum, nec caustico imposito ullo deturbatum, ibi persistit, symptoma syphilitidis internae nullum emergere soleat.⁶⁹⁾

⁶⁸⁾ Erosio, ut a causticis externe impositis, prorsus nulla hic fit. Saepe enim post plures hebdomas macula tandem subruba conspicitur, in qua miliaris granuli instar tuberculum progerminat, quod paulatim augetur, et postremo in ulceris formam dehiscit.

⁶⁹⁾ Patri meo se obtulit curandum ulcus cancrosum in pudendi labio externo foeminae, quae nullo symptomate luis hucusque erat af-

Vlcus porro cancrosum non erosionē quadam externa nasci, sed demum post universalem corporis contagionem consilio quasi naturae constanti per synergismum reliqui vitalis organismi, iam viro venereo infecti, progerminare, illi casus, quamvis rari, docent, in quibus hoc symptomā locale non in loco primae adfrictionis veneni, non in glande aut glandis frenulo, neque in praeputio vel alia pudendorūm parte, sed in loco aliquantum remoto, ⁷⁰⁾ i. e. in glandulis inguinalibus, abscessus (bubonis) forma, enascitur, qui cum dehiscit, nil nisi ulcus cancerosum repraesentat, eademque indole est praeditus,

ficta, quamvis ulcus ultra duos annos in suo loco remanserat et ad semipollicis magnitudinem creverat. Mitis et quieti temperamenti mulier, ob doloris lenitatem in ulcere, medicamento nullo adhuc erat usata, neque interno, neque externo, planeque ignorabat, cuiusnam naturae ulcus hocce esset.

⁷⁰⁾ *Hunterus* (l. c. p. 433) plura huius rei exempla, vel in mulieribus, vidit et *B. Bellius* (l. c. p. 22.) testatur, se iam viginti casus observasse, in quibus neque blennorrhœa, neque ulceris cancerosi, neque adeo excoriationis vel minimum vestigium praecederet. Item *Swediaur* (l. c. Tom I. p. 335.) plures huiusmodi casus habuit, inter quos et huncce refert: „il y a environ douze ans, que dans l'espace d'une semaine il se présente, dans un hôpital militaire, trois soldats, tous trois attaqués d'un bubon, qu'ils avoient de la même femme; ils avoient tous été en parfaite santé quelques jours auparavant; aucun d'eux n'avoit à son arrivée là moindre excoriation aux parties génitales, ni aux cuisses, ni même aucune apparence d'écoulement.“ Ipse etiam pater meus eius generis facta quædam observavit. Vide etiam *Howard*, *practische Bemerkungen über die Lustseuche*, pag. 24. et *Astruc*, *de morb. ven.* Paris. 4. 1740. Tom. I.

ut lui internæ tanquam symptomata vicarium inserviat, et si alios homines tetigerit, eos venerea labe inficiat.

Ex dictis, opinor, patet, unam tantum existere contagionem venereum, eandemque universalem, quae ab inflictione veneni in partem receptioni miasmatis idoneam incipit, tamque diu continuatur, donec totius corporis contagio consummata est et perfecta. Antea nullum ulcus cancrosum, nullus bubo enascitur, symptomata externa, vicaria luis internæ, quae non potest non erumpere, quando, quae ipsius passiones hucusque in se recipiebant, internique morbi ayerrunca et vicaria symptomata erant (ulcus cancrosum et bubo), topicis so lis deleta fuerint. Etenim ob lentescentem et mitem naturam morbi venerei, quae hodie est, ulcus cancerosum vulgare et merum, si nullis remediis externis tangeretur, neque alio modo de loco deturbaretur, grandesceret quidem et augeretur continuo ad ultimum forsitan vitae terminum, sed luem prodire non sineret.

Quem igitur vulgares illi medici prævertere student luis proventum, eum ipsum promovent deletione ulceris cancerosi per topica, quandoquidem inter eruptionem huius ulceris lues iam aderat, etsi tacita quasi et obscura, symptomate hocce suo vicario hucusque sopita.

Ex theoria illa falsa de mera localitate ulceris cancerosi, quae et experientiae omni et sanæ physiologiae plane repugnat, perversam hancce ulceris per localia medicamenta curandi rationem recta emanasse via, quis est quin videat?

Nulla unquam ulceris cancrosi per sola topica extirpatione esse potest, quam non luis symptomata subsequantur, quae naturae lex omni omnium bonorum observatorum experientia stabilitur, et illa quae pauca referuntur exempla in contrarium, ex incuria et spuriis falsisque observationibus orta sunt, quae innumerae ex nosodochiis emanant, ut *Hufeland*⁷¹⁾ testatur.

71) *V. Journal der praktischen Heilkunde*, 1810. Octob. pag. 16.
(In der Hospital praxis) „sieht der Arzt den Kranken nur, so lange die eigentliche Krankheit dauert, die aber oft nur eine Aeusserung, ein Fragment des wahren Krankheitszustandes ist. Ist diese gehoben, so wird er als geheilt entlassen, aber man erfährt nichts von den nachfolgenden, meist chronischen Uebeln, die oft erst den wahren Aufschluss über die Krankheit geben, und uns zeigen, dass das was wir Kur der Krankheit nannten, oft nur ein Metaschematismus war, oder dass unsre Methode wohl gar, indem sie die Krankheitsäusserung unterdrückte, das Hauptübel vermehrte, oder den Krankheitsstoff tiefer imprimierte. So kommen falsche Resultate, in den Kopf des Arztes, und sind schon viele (falsche) Resultate in die Welt gekommen etc. So heilte man die gastrischen Fieber mit China und Wein, und das Factum war richtig, aber man erfährt nichts davon, dass hinterlein hypochondrische Be schwerden, Hektik, oder Verstopfung der Abdominaleingeweide entstanden. So kann man die Gicht durch kalte Umschläge heilen (vertreiben), aber der als geheilt entlassene Kranke bekommt in der Folge Taubheit, Blindheit, chronischen Magenkrampf u. s. w. So kann man die Hämorrhoidalbeschwerden durch kalte Klystire, und Umschläge für den Augenblick wegzaubern, aber man erfährt nichts davon, dass der Kranke nachher in ein unheilbares Asthma, oder Lungensucht verfallen ist. So die Flechten, Kräze u. d. gl. ist der so glücklich Geheilte, schwindsüchtig.

Etenim quum, ut observationibus et argumentis a me demonstratum est, et ulcus cancrosum et bubo non nisi exacto illo morboso processu universi organismi, quo omnes ad contagium idoneae partes miasmate venereo inficiuntur, propullare possint, proventus ergo et ulceris et bubonis iam natam luem demonstret, tamdiu sopitam, et latentem, quamdiu alterutrum symptoma locale (quo malum internum quasi absorbetur) vigeat; sequitur, per vulgarem ulceris localem deletionem factum tantum mentitaque sanationis spe aegrotorum mentes falli, morbiique venerei adeo nihil sanari, ut lues, iam vicario symptomate ablato, eo certius luculentiusque emergat, ideoque non nisi interna cura veram mali totius sanationem peragi posse, qua organismus totus a lue liberetur.

Quae vero ea sit interna curatio, qua totus organismus venereae labis expers reddatur, antequam finem operi imponam, jam paucis verbis docebo.

Si ulcus cancrosum prius topicis deleveris, et modo deinde mercurii praeparatum (unguenti inflictionem, calomelas, etc.) adhibueris, nunquam certus esse poteris, luem internam esse extinctam et medelam ad finem perductam.

Neque enim vel diutissime (post localem ulceris cancrosi deletionem) continuatus mercurii internus usus aegrotos de sanatione integra certos reddere potest, maxime si hydrargyri praeparatum non tantas vires antisiphiliticas possidet, nec ob alienam suam et acerem qualitatem tam cito, tamque expedite febrem

mercurialem excitare potest, quam oxydulum mercurii nigrum
(merc. solub. H.)

Hoc solum magnam illam corporis mutationem intra paucos dies perficit et sanationem absolvit, ita, ut diurnae illius mercurialium praeparatorum vulgarium propinicationis nocivi, immo perniciosi effectus evitentur, qui saepe peiores sunt morbo venereo ipso.

At vel in cura per optimum illud hydrargyri praeparatum quam maxime optandum esset, ut ulcus cancrosum (nullo topico antea deletum) integrum adhuc adesset. Tum denique, si solo medicaminis interno usu ulcus sanescit, signum simul sanationis universi corporis perfectae praebet indubium. Nulla enim cura mercuriali lues interna extinguitur, nisi ulcus cancrosum, tanquam symptoma luis vicarium, eadem cura simul deleatur; quod vero si absque usu topicorum per eandem curam internam deletur, etiam interna universi corporis lues penitus extincta sit necessè est.

Usus autem oxyduli mercurii in morbo venereo curando auctis continuo et crebrioribus dosibus ⁷²⁾ (quam maxime fieri possit) ad eum gradum evelendus est, ut quam citissime febris mercurialis acuta excitetur, nec cura prius in-

⁷²⁾ Oxydulum mercurii nigrum pater meus, recentioribus annis, non nisi cum terra calcarea quadam mistum, et intime tritum, propinat.

termittatur, etiam si ulcus cancrosum, ut non raro fit, aliquot diebus ante evanuerit.

Quodsi vero ulcus cancrosum perversa illa methodo vulgaris topicis fuerit deletum, antequam ad curationem mercurialem internam accesseris, tunc nullum signum adest, quod pronuntiet, morbum penitus esse profligatum, quam febris mercurialis exquisitissime excitata; ⁷³⁾ haec demum decernit, sanationem esse absolutam.

⁷³⁾ Vid. patris mei *Unterricht* etc. §. 290.

Corrigenda:

Pag. 3. lin. 6. loco: concro-	lege: cancro-
— 5. — 5. —	ulla — ullo
— 18. — 8. —	dicunt — dicunt
— 21. — 19. —	non — minus
— 22. — 5. —	infectae, erant lege: infectae erant.